


Philosophi officio non dicam, ne videar *πολυπραγμονεῖν*. Certè, tantò honestius est Medico diligenter in hac requirere: quantò inhonestius est negligere. Quid enim? Promittit Medicus se velle & posse restituere licenti actionem suam: &, quæ sit actio illa, ignoret?



*De instrumentis coctioni servientibus.*

CAP. III.

**I**N hujus itaque possessionem ut venire possit, hinc videtur sumendum esse orationis exordium.

Instrumenta coctionis seu nutritionis necessariò requirebant duo, Alterum, ut multa essent, Alterum, ut ea ipsa genere diversa, ceu pulchrè ratiocinatur Gal. 1. Fac. nat. 10.

Multa. Cum enim actio facultatis nutritivæ sit adsimilatio; fieri autem non possit, ut adsimilentur, mutanturque in se invicem ulla, nisi societatem, cognationemque in qualitatibus inter se habeant: non quodvis animal nutritur cibo quovis, nec illo protinus. Sed nec in uno eodemque animali fit nutritio, nisi post aliquam multas alterationes, plures,

B

pau-